**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM**CONSTITUTIO APOSTOLICA

# *VIANENSIS**

NOVA DIOECESIS CONSTITUITUR IN ANGOLIA, VIANANENSIS APPELLANDA.

Cunctae catholicae Ecclesiae cum praesideamus, summam curam ponimus in Evangelii salute quam latissime diffundenda, ut eiusdem beneficia et monita omnes gentes contingant cunctasque regiones. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, suffragante Venerabili Fratre Angelo Becciu, Archiepiscopo titulo Rusellensi atque in Angolia Apostolico Nuntio, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus Viananensem appellandam, quae territoria populari loquela nuncupata Viana, Palanca, Bom Jesus, Calumbo, Catete, Barra di Kwanza, Cabo Ledo, Mumbondo, Kilamba Kiaxi, Demba Chio, Muxima, Massangano et ea ab archidioecesi Luandensi seiungenda, complectetur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Luandensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro Sedem in urbe ponimus, quae Viana vocatur, et ibidem templum Sancto Francisco Assisiensi dicatum ad statum Cathedralis ecclesiae attollimus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem supra memoratum Apostolicum Nuntium legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iunii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.*

| THARCISIUS card. BERTONE | IVAN card. DIAS |
| --- | --- |
| *Secretarius Status* | *Congr. pro Gentium Evang. Praef.* |

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandes, *Protonot.*

*Apost.*

*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 7, pp. 585-586 © Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana